Dissertatio inauguralis sistens observationes nonnullas zootomicas os cordis cervi, claviculas felis, os thoracicum limacis agrestis et intestina coeca urogalli spectantes: quam praeside Carolo Friderico de Kielmeyer ... pro gradu doctoris mense Nov. MDCCCXIV. / publice proponit Jacobus Christophorus Lüthi.

Contributors

Lüthi, Jacobus Christophorus. Huzard, J.-B. 1755-1838 Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Tubingae: Typis Schrammianis, [1814]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/x6aerfpy

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org DISSERTATIO INAUGURALIS
SISTENS

OBSERVATIONES NONNULLAS ZOOTOMICAS

OS CORDIS CERVI, CLAVICULAS FELIS, OS THORACICUM LIMACIS AGRESTIS

INTESTINA COECA UROGALLI

SPECTANTES.

QUAM

PRAESIDE

CAROLO FRIDERICO DE KIELMEYER

MED. DOCT. EJUSQUE PROF. PUBL. ORD. REG. ORD. MERIT. CIV. EQUITE

PRO GRADU DOCTORIS MEDICINAE

MENSE NOV. MDCCCXIV.

PUBLICE PROPONIT

JACOBUS CHRISTOPHORUS LÜTHI

HELVETO - RICHTERSCHWYLANUS.

TUBINGAE
TYPIS SCHRAMMIANIS.

DISSELTATIO LANDOUR LINE

OS COMONS CHEVIL, CLAVICULAS ITLIS
OS THORACIONIS LIMACIS AGRESTIS

INTESTINA CORCA UROGALLI

K-SED

CAROLO FRIDERIC

DE, KIELMEYER

DESCRIPTION OF THE PROPERTY OF

THE OF THE ADDITION OF STREET OF STREET, STREET OF STREET, STR

the time the law

JACOBUS CHRISTOMORUS LUTHE

MNY TAMESSEL WOLF - OFEATHER

TTFIE - SCHARBELLES

hwww.

T. OBSERVATIO DE OSSE CRUCIFORMI IN CORDE CERVI ELAPHI.

Issa eorumque substituta in serie animalium musculos plerumque comitantur, illaque singula, licet compage et textura ibi admodum varia, cum his singulis in animalibus individuis tam constanter coëxistunt, ut non modo fines et usus hujus coëxistentiae jam exinde hariolari, fed et ad nexum quendam caussalem concludere possis, quo genesis organorum utriusque generis teneatur et cohaereat. Secretio et depositio materiae osseae cum secretione et depositione materiae muscularis ita conjuncta videtur, ut natura et praesentia illius naturam et praesentiam hujus determinet. Exceptionem quidem a cocxistentiae regula facere videntur insecta, si crustacea removeantur, et in vermium classe nudae mollesque species, larvae amphibiorum et pisces juniores. Sed et in his aliae secretiones et depositiones vices osseae gerunt, ut facile ostendi posset; et ossium functio, qua musculis mechanice serviunt, in ejusmodi animalibus numero, situ et nexu musculorum ipsorum compensatur. Dandum interim est,

regulam illam longe constantiorem deprehendi in animalibus rubrisanguibus adultis et ne pisces quidem cartilagineos exceptionem ibi subministrare. Si vero ad singulos musculos attenditur etiam in hoc animalium agmine exceptiones facile inveniuntur. Nam fi et juste diaphragma mammalium musculosum huc haud refertur, quippe quod costis, columnae vertebrali, et sterno tanquam ossibus appertinet tamen quoad ossa cornua musculis privata et quoad musculos cor rubrisanguium et canalis intestinalis, praecipue ventriculus avium musculosus, in quotanta substantiae musculosae massa concervata est, musculi cutanei et panniculi carnosi integumentorum, qui in erinaceo europaeo tantae molis et extensionis sunt, exceptiones parant, tanquam musculi ossibus destituti, nisi quoad erinaceum aculeos cutis in dorsali corporis facie, ubi panniculus carnosus praecipue extenditur, pro substituto osseo accipere velis. Morboso quidem statu cor praecipue concrementis osseis, quae ibi nascuntur, favet, at in statu naturali neque cor neque ventriculus avium musculosus ossea rudimenta ostendit, licet in ventriculis minus musculosis cancrorum, in ingluvie chitonum et si tricuspidem styli cristallini huc referre velis, in ventriculo pholadum aliorumque molluscorum osseus apparatus ex ore quasi remotus et in ventriculum dislocatus, haud mediocri consilio constructus, adsit. Proclivem vero esse naturam etiam in musculo cordis in

ejus statu naturali ad genesin osseam exemplo cervi elaphi probatur. In omnibus nempe hujus speciei individuis masculis adultis et ad generandum aptis, quod exacto triennio vel quadriennio fit, in septo ventriculorum, in vicinia ortus aortae ossiculum invenitur, longitudine pollicem et maxima fua latitudine tertiam pollicis partem aequans. Forma sua dentem incisivum refert, in quo radix elongata, compressa, angustior, conica et corona latior compressa, superne in apicem desinens et utrinque oblique truncata, ut crucis forma quodammodo oriatur, distingui possunt. Faciem habet concavam membranae tendineae connexam versus aortae parietem exteriorem et convexiorem musculo septi adcretam. Quoad situm ex longitudine sua in septo cordis positum est et cum apice radicis suae apicem cordis spectat. Forma ossiculi in individuis vix variat et constans est, volumen vero et massa cum aetate paulum augetur. In individuis foemineis, si aetate provectiores sunt, idem ossiculum deprehenditur, sed minoris voluminis et massae, ratione ejus, quod in individuis masculis ejusdem aetatis deprehenditur. In cervo Dama et capreolo haud offenditur hoc ossiculum. Ad intendendam fibrarum contractionem praecipue in ore ventriculi sinistri versus aortae ortum inservire videtur. An cum veloci cursu et timiditate et celeri palpitantique pulsatione cordis horum animalium ossea haec genesis cohaereat, quaeri modo potest.

2. OBSERVATIO DE CLAVICULARUM RUDIMENTIS FELI CATO FERO ET MANSUETO.

Plures olim Zootomi et Zoologi systematici ex clavicularum praesentia vel absentia differentias certas inter mammalium ordines et familias adstruxerunt. Sic Vicq d'Azyr *) mammalia quadrupeda in claviculatas et non claviculatas distinxit, illisque praeter hominem simiarum, sciurorum, myoxorum et talparum familiam, his vero, praeter cervinum et bovinum genus, leporinum, caninum, felinum, fuillum, equinum, elephantinum, rhinocerotinum et Hippopotami genus accensuit. Sic etiam Linné in ferarum et praesertim in glirium ordine genera ex parte ex clavicularum praesentia vel absentia distinxit. Praeter vero, quod enumeratio generum claviculis instructorum vel destitutorum, ab his auctoribus facta, manca et incompleta fit, et quod quoad ursinum genus discensus obtineat, quippe cui ill. Haller claviculas adjudicavit, quas vero Roederer in arcto terrestri et Pallas **) in hoc et in maritimo haud invenit, certo ossium illorum praesentia ordinum et familiarum naturalium in mammalium classe characterem certum distinctivum suppeditare nequit. Cum enim alias semper gradative simplificando

^{*)} Table pour servir à l'histoire anatomique et naturelle des corps **) Spicilegia zoologica Fasc. XIV.

procedat natura in exstruenda organisationum fabrica, jam exinde hie ut in aliis easibus transitus adesse, quibus claviculata cum non claviculatis cohaerent, fuspicari licet, idque usque dum lex generalis certo nota et promulgata erit, ex qua natura in producenda diversa organisationum serie aut fines respiciens et ex finibus ordinans, quaedam progressionis membra intelligibilia omittere voluerit aut mechanice formans omittere debuit, breviter ergo lex nota erit, ex qua progressio permanentium specierum organicarum, quae vel nunc funt, vel fuere, constructa fuerit, vel potius progressio virium, quibus fiebant, procedat. Revera etiam observatores ejusmodi transitus detexerunt. Sic cel. Pallas, *) non modo in gulone, lutra vulgari, mele vulgari europaeo clavicularum rudimenta detexit et delineavit, sed et in mustela lutreola, putorio, erminio, nivali, zibellino, marte, Sarmatica, Sibirica, in lynce vulgari europaeo et plurimis praeter ursum feris, et in leporibus auritis, qui soli e glirium ordine imperfectas claviculas habent.

Memorabiliora vero videntur ciavicularum rudimenta, quae in feli cato fero et mansueto, praesertim adultiori offendimus, in junioribus vero hujus speciei individuis haud deteximus.

Imitantur enim arcuata sua forma et extremitatibus suis, sternali graciliori, humerali tumidiori et latiori, perfecte formam

^{*)} Spicil, zoolog. Fasc. XIV.

clavicularum perfectarum in aliis animalibus, quod in rudimentis a b. Pallas in aliis animalibus observatis et delineatis vix conspicitur.

Longitudine sua pollicem excedunt, rudimentisque in aliis animalibus a b. Pallas inventis etiam praevalent. Utraque extremitate quidem liberae sunt, nec humerum, nec sternum attingentes ut in mox dictis animalibus, sed musculis interjectae et undique adnexae, cum e contra Pallas desendat: rudimenta ab ipso observata cellulosae libere inhaerere.

Si de usu ejusmodi clavicularum quaestio oritur, ad ea provocare possumus, quae jam fupra de coexistantia musculorum et ossium protulimus, cum et hic ejusmodi clavicularum rudimenta magnis musculorum massis, praesertim pectoralium immo et deltoideorum impacta fint, ideoque et hic una secretio alterius causa vel in usum alterius fieri possit. Plane quidem absumus, uti ex introitu ad fecundam hanc observationem jam patet, ut ineptias illas teleologicas, quibus olim quidam scriptores auctorem naturae et naturam fancta quasi fua fimplicitate ornare voluerunt, approbemus, immo nec fubscribimus judicium ill. Blumenbachii *), qui licet recte medium ex extremis eligens, Academicum parisiensem delirii accusare videtur, quia oculum tanquam visui destinatum negavit, nam magnum intercedit discri-

^{*)} Beyträge zur Naturgeschichte. 1. Th. p. 41.

men inter visui destinatum esse et visui inservire. Judicium de destinatione plane extra cancellos empyricorum naturae scrutatorum situm est, judicium de usu et servitute partium ipsis reservatum manet. Sed nec adsentire possumus ill. Pallas, qui occasione clavicularum lutreolae cum ironia quaerit: qui omnia in'certos fines a natura instituta esse jactant, cuinam utilitati minutula ista clavicularum quasi germina in feris immo et in leporibus auritis (qui soli ex ordine glirium imperfectas habent) cellulosae libere inhaerentia, neque ligando brachio nec firmandis musculis servientia praedestinata dicent? - uti jam innuimus de destinatione et praedestinatione naturae hic sermo esse nequit, sed de mutuo usu et officio partium praesentium - et si quaestio in casu substrato clavicularum felis agitatur, perhiberi potest, istas non quidem firmandis musculis, sed fibrarum muscularium, quae musculum totum componunt, et conciliando sic roburi musculorum inservire, praeterquam quod secretio ossea musculis, aliorumque organorum functioni proficua esse possit? Annon pars tendinea diaphragmatis, hinc inde longe in carnem producti tendines ossei in musculis avium, prae omnibus autem ossicula libera musculos piscium interjacentia ipsosque firmantia et punetum insertionis et firmioris actionis praebentia, licet cum reliquo sceleto plane non connexa sint, simili modo inserviunt?

Reticemus, dari in organismo partes, qui evolutionis causa adsunt, et functionem suam eo absolvunt, quod functiones aliarum partium possibiles reddant. Hoc et hic quadrare ex seriori, et tamen constanti harum clavicularum apparitione jam patet.

3. OBSERVATIO DE OSSE THORACICO LIMACIS AGRESTIS.

Os sic dictum sepiae, quod in sepia officinali, aliisque hujus generis speciebus infra integumenta fere omnem dorsalem regionem occupat, non modo novam apparitionem in serie animalium ratione agminis vertebratorum sistit, quippe columnae vertebrali vertebratorum neutiquam comparari potest, sed etiam ratione animalium non vertebratorum, imprimis vermium, si et testas bivalvium vel univalvium ceu os sepiae supra integumenta locatum consideratur. Gradatio, quae alias, quoad sceleton in serie animalium servatur, violata videtur. Violationem vero hanc etiam hic evanescere, sequens observatio docet: In limace agresti L. si thoracis vel clypei integumentum resecetur, offenditur ossiculum planum et rotundatum, clypei formam referens, densioris compagis quidem et minoris extensionis, quam os sepiae habet, quippe thoracis partem circumscriptam modo occupat, dum os

sepiae longitudinem totius abdominis sequatur et compleat, sed quoad formam, situm quoad anticam partem et usum plane ossi sepiae impersecto vel inserioris gradus comparandum.

4. OBSERVATIO INTESTINA COECA UROGALLI SPECTANS.

Intestina coeca, quae in homine (si accurata comparatio cum aliis animalibus scopo est) processum modo vermisormem, in aliis mammalibus verum intestinum crassum coecum simplex sistunt, in aliis denique mammalibus plane deficiunt, in avium classe multiplicari, rarius adesse simplex, saepius occurrere duplex coecum, numerumque hunc binarium in classe piscium inque ejus nonnullis speciebus, ut in Salmone salare, in classe insectorum in scarabaeis, lepidopteris horumque larvis etc., et inter vermes in aphroditis, Medusis, asteriis enormiter augeri, et in systema vasorum sensim immutari notum est, sicut et, sunctiones horum intestiuorum coecorum sensim variari. At minus nota esse videtur singularis horum intestinorum conditio in urogallo, quem ex victu sabrica aliisque a genere Tetraonis separare mallemus.

Delineavit quidem jam Gerard. Blasius *) ex Jacobaeo

^{*)} Ger. Blasii anatome animalium. Amstelod. 1681.

finctio inter crassa et tenuia horum coecorum patet, nosque ipsi observavimus eandem inter crassa et tenuia coecorum diffinctionem magis apparentem in anate boschate fera. Memorabiliora vero funt, quae quoad haec coeca in urogallo offenduntur, de quibus Bloch,*) licet curate laryngis et arteriae asperae conditionem adnotaverit, nil attulit.

Intestinorum tractus a pyloro ventriculi musculosi incipiens crassis omnimode adnumerandus, et ad initium coecorum protensus aequalem diametrum fervat, et 5 circiter pedes longitudine aequat. Coeca duo in fine hujus tractus cum recto exeunt. Rectum aequalis fere crassitiei cum priori tractu ad cloacam recta tendens 9 pollices aequat. Coeca vero illa duo fursum verfus ventriculum tendunt, et fingulum eorum longitudine aequat pedes 9 pollices, fic ut fimul fumta longitudo coecorum fit 5 pedes 6 poll. ex mens. veteri parisina = longitudini fere totius reliqui tractus intestinalis inde a ventriculo usque ad cloacam. Directio fursum versus ventriculum in reliquis avibus quoque obtinet, fed hic ob enormem ingluviem, quae inferiora

^{**)} Beschäftigung. der Berl. Gesellschaft naturf. Freunde. 4. B. ornitholog. Rhapsod.

versus saccum format, et saccum coecum ventriculos multoties superantem resert, memorabilior videtur, quial coeca et saccus ille coecus sibi e directione opposita respondentes vice versa quasi se quaerunt, ad anastomosin quasi, mammariae et epigastricae arteriae ad instar, tendunt et analogiam canalis alimentaris superioris et inferioris declarant.

Singulum illorum eoecorum constat ex intestino tenui 6—7 pollicum longitudinis, fabricae fubtilioris, uti alias tenuia et diametri 4 lin. et ex intestino crasso diametri in medio 9 linearum, majoris, quam in tractu intestinali a ventriculo inde obfervatur.

Pars crassa horum coecorum non modo longitudine sua et amplitudine, sed etiam fabrica sua insignitur, quippe in facie interiori septem seriebus longitudinalibus, glandulosis elevatis secernentibus instructa est, quae, si exsiccantur ligamenta quasi albida in facie exteriori referant.

Concoctio et extractio alimentorum in his coecis potissimum fieri non modo ex apparatus magnitudine ex mesenteriorum coecis adpertinentium apparatu, fed et ex victus natura, qui non modo in baccis juniperi et vaccinii myrtilli, fed hyeme praesertim et vere ex aceribus pini fylvestris consistit, qui in ingluvie deprehenduntur, et in ventriculo non plene extracta et praepa-

rata inveniuntur, credibile fit. Conjungit itaque hic apparatus in urogallo coeca avium cum istis piscium, in quibus organorum fecretoriorum vices, ut ex numero, structura et connexione apparet, multo magis gerunt.

the contract to the contract of the contract o

AND THE PERSON OF THE PERSON O

the street of recitation of the street or the land of the land of

THE RESERVE THE RESERVE OF THE PARTY OF THE

denought one of the state of th

content at her circumstate postal terr sections as since sections

depret militaries of the wanted about the second of the second of

PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO DOMINO CANDIDATO PRAESES.

Licet angustius temporis spatium Tibi ad absolvenda studia in hac academia concessum et praescriptum suerit, ita tamen hoc spatium emensus es et tali diligentia insignivisti, ut in examinibus expectationibus ordinis medici vere satisfeceris. Fuisti insuper, dum inter nos commoratus es, ea vitae morumque integritate conspicuus, quae non solum suum ad obtinendum illum scopum conferre, sed et Te omnibus bonis aestumatum reddere potuit. Congratulor itaque Tibi Tuisque de digne absoluto studiorum curriculo. Vale mihique amicum animum serva.

K.

and the supplied that the street of